

et exiles sunt, quod ecclesia predicta ex illis reparari et restaurari non potest, sed ad hec pia Christi fidelium suffragia sunt plurimum oportuna. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, patria illa frigidissima sit dictumque opidum secus montes Bohemie situm existat ac incole et habitatores dicti opidi et quam plurimi alii ipsius ducis homines et
5 sub ejus protectione existentes in montibus Bohemie et desertis locis etiam extra dominia dicti ducis illis immediate contiguis minerarum requisitioni magnopere intendant, ubi vite necessaria, nisi aliunde deferantur, copiose haberi non possunt, et in eorum advectione propter nimiam multitudinem magna sepius difficultas existat, unde plures minerarum hujusmodi laboratores et alii pauperes precipue quadragesimalibus diebus nimia inedia
10 eruciantur, alii etiam dicti ducis subditi in locis admodum frigidis habitant, ubi olive non crescunt nec oleum olivarum habetur, nisi de longinquis partibus ac cum magnis laboribus et expensis illuc deferatur, verum si eidem duci ac ejus subditis prefatis ac aliis sub sua protectione existentibus concederetur, quod quadragesimalibus et aliis diebus, quibus esus butiri et aliorum lacticiniorum prohibitus est, butiro et lacticiniis hujusmodi vesci possent,
15 dummodo ex bonis suis pro reparatione et restauratione dicte ecclesie contribuerent, profecto spes foret, quod ecclesia ipsa in suis^{e)} structuris et edificiis infra aliquod tempus reparari et restaurari posset, pro parte dicti Alberti ducis, qui etiam margravius Misnensis et lantgravi[u]s Thuringie existit, nobis fuit humiliter supplicatum, ut in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ut ecclesie ruinosae debite
20 reparentur ea que possumus auxilia libenter impartimur, prefatum Albertum ducem a quibuscunque excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et penis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet inodatus existit, ad effectum presentium duntaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati auctoritate
25 apostolica tenore presentium statuimus et ordinamus, quod prefatus Albertus dux ac omnes et singuli subditi sui ac alii sub ejus protectione existentes tam ecclesiastici quam seculares utriusque sexus in hujusmodi minerarum locis t^et alibi existentes ac etiam^{d)} alii ad hujusmodi loca accedentes quadragesimalibus et aliis diebus prefatis butiro et lacticiniis hujusmodi usque ad viginti annos proxime futuros sine conscientie scrupulo libere vesci possint,
30 ita tamen, quod hii qui illis vesci voluerint per dictos viginti annos proxime futuros viceesimam partem unius floreni Renensis auri quolibet anno pro reparatione et restauratione prefatis contribuere teneantur, cujus contributionis quartam partem pro fabrica basilice principis apostolorum de Urbe cedere volumus. Et si interim ecclesia ipsa perfecta fuerit, in illius ac parrochialium ecclesiarum dicti opidi manutentionem et conservationem et non
35 in alios usus contributio predicta, salva ejus quarta parte que pro dicta basilica cedat ut prefertur, omnino convertatur, non obstantibus apostolicis ac in provincialibus et sinodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino —. Si quis autem —. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo nonagesimo primo,
40 sexto idus julii, pontificatus nostri anno septimo.

789. c) ipsa in suis *auf Rasur*. d) et — etiam *auf Rasur*.